

lueris subglobosis, squamis acuminatis, demum squarrosis, ligulis glabris, achaeniis fuscoatris. *H. Heldreichii* Boiss., species etiam affinis, juxta quam ob achaeniorum colore in dispositione Frieseana inservendum erit, distinguitur caule setoso, furcato nec paniculato-ramoso, involucris stricte-pilosus nec hirsutis, squamis sublinearibus, ligulis glabris etc.

---

## Plantarum novarum turcicarum breviarium.

Auctore Victore de Janka.

(Schluss.)

### 33. *Verbascum humile* Janka.

Perenne. Folia firma, coriacea, basilaria in caespitem collecta, lanceolata usque 7 pollices longa, pollicem circiter lata, subaequaliter serrato-crenata: juniora supra cano-, subtus albo-sericeo-tomentosa, adulta caulinaque supra glabra laete viridia, subtus cano-pubescentia; caulina proportione sensim angustiora basi longius attenuata sessilia vel subpetiolata in axillis foliolifera. Caulis  $\frac{1}{2}$ —1-pedalis leviter curvatus, basi cano-tomentosus a medio laevigatus atque paniculato-ramosus, usque ad ramificationem foliosus. Panicula confertim ramosa, tamen gracilis; fasciculi conferti 2—3 flori. Pedicelli rectiusculi calyce parum longiores. Calycis segmenta linearia vel sursum dilatata linearis-spathulata. Petala parva flava. Filamentorum lana (e sicco) albida. Capsula parva 2 lineas vix excedens, ellipsoideo-obovata apiculata floccoso-tomentosula calyce erecto, adpresso triente longior.

Hab. in Thracia boreali: in lapidosis calcareis regionis mediae m. Tschatalkaje prope Sliwno (d. 4. Augusti 1872).

Nescio quocum comparandum. — A *Verbasco Lychnite* foliorum angustie etc. toto coelo abhorret.

### 34. *Veronica Bungabecca* Janka.

Perennis. Tota parce puberula. Caulis procumbenti-ascendens brevissimus, vix 2-pollicaris, basi radicans stolonesque radicantes emittens. Folia caulina 2 ellipsoidea inflorescentiam stipantia; stolonum parva, caulinis minora, late ovalia basi in petiolum brevissimum contracta, obsolete repando-crenata. Inflorescentia pauciflora, contracta. Pedicelli calyce pluries longiores in axillis bractearum foliiformium. Calycis lobi obovato-spathulati. Petala ... Capsula parva calycem paullulo superans, emarginata.

Hab. in Thracia boreali: in graminosis humidis ad rivulos regionis alpinæ m. Balkan supra Kalofer; non procul a cacumine legi d. 2. Septembri 1871.

Habitum *Veronicae Beccabungae* L. diminutae quodammodo refert; sed distinctissima atque aliam ad sectionem (*Chamaedrys*) pertinet; ex cl. Grisebach „affinis *V. curdicae* Benth. sed diversissima.“

### 35. *Nectaroscordium bulgaricum* Janka.

Bulbus nucis Avellanae magnitudine. Folia basilaria 2—3 semi-pedalia vel longiora, 6 lin. lata, carinato-triquetra trilamellata, utrinque insensibiliter attenuata, apice acuminata, leviter arcuata, laete viridia, in planta fructifera (vel jam in florente?) plane emarcida. Scapus 2—2½-pedalis, teres, strictus, basi vagina simplici 6-pollicari pro maxima parte tetragono-tubulosa atque suprema parte solum forata, apice rotundato-cincinnata aphylla inclusus. Spatha . . . cito decidua. Umbella 10—20-flora: flores masculi post evolutionem penduli, mox emarcidi, brevius pedicellati; flororum hermaphroditorum fructiferorum pedicelli demum valde excrescentes inaequilongi longissimi perigonio 6 lin. circiter longi 6plo et ultra longiores, e basi leviter curva in annulum — quasi nidi instar — dispositi contracto-stricti in medio tenuiores atque versus apicem clavato-incrassati subalato-acutanguli insuper striati sulcatulique, apice ipso subito in receptaculum patellae-formem acute marginatum angulatum dilatati. Perigonia fructifera ob phylla apice conniventia seseve involutiva vel plus minus amplectentia subclausa, conica; phylla in flore centrali—longissime pedicellato — 8, in reliquis 6, dorso acute carinata, inferne subcartilagineo-indurata, aequilonga, acuminata, opaca; tria exteriora late ovato-triangularia, interiora angustiora tertio inferiore panduraeformi angustata, margine superiore utrinque late membranacea. Filamenta subulata ⅓ perigonii longa. Antherae subrotundae. Capsula hemisphaerica perigonio plus quam duplo brevior; valvae in flore centrali 4, in reliquis 3, late triangulares apice brevissime inciso-emarginatae, opacae.

Hab. in Bulgariae orientalis districtu Dobrudscha: locis humidis in fagetis elatioribus umbrosissimis inter pag. Nicoliczel, Handscherka et Cserna non procul ab oppido Tultscha; detexi d. 12. Juli 1872.

Similitudo cum *Nectaroscordio siculo* Lindl. summa; — *bulgaricum* vero omnibus partibus gracilius, perigonia fructifera haud lucida, vagina caulis basin involvens haud laminifera etc. — Specimina maturissima tantum inveni. Folia ad plantam vivam nuperrime bulbis in hortum meum transsilvanicum translatis enatam descripta cum illis Allii triquetri quoad formam comparanda, colore laete viridia, ut in *Hemerocallide fulva*, valde succulosa, odore forti porraceo.

### 36. *Colchicum turcicum* Janka.

Tuber amplum tunicis exterioribus papyraceis fusco-nigrescentibus apice in collum elongatum protractis vestitum. Vagina purpurascens oblique truncata cucullato-acuta. Flores autumnales 3—8. Perigonii tubus limbum aequans vel 2—3plo longior angulatus; limbi rosei, vel concoloris vel maculis parvis dilutioribus oblitteratis variegati segmenta obovata, lanceolata vel linearia, obtusa, acuta vel sub-

acuminata, canaliculata, sub-20-nervia; nervi recti vel undulati. Filamenta ad eandem altitudinem inserta, alternatim aequilonga. Styli apice incurvi filimenta superantes vel breviores. Folia hysterantia 6—9; exteriora canaliculata lanceolata vel lanceolato-linearia, utrinque — apicem versus magis — attenuata subacuta, patentissima, terrae adpressa undulata vel subtorilia, intima proportione angustiora, quandoque anguste linearia, erecta, applanata, omnia margine anguste cartilaginea patenter vel retrorsum aculeolato-ciliata, supra laete viridia lucida, subtus grisea opaca. Capsulae parvae exquisite 3-sulcatae.

Hab. in agro Byzantino: in prato Platanorum prope Bujukdere ad Bosphorum; copiosius in pascuis ad pag. Bagdschekiöi versus silvam belgradensem, denique in pratis silvaticis prope pagum Belgrad ipsum (in ericeto pago Belgrad proxime sito *Colchicum alpinum* DC. = *C. parvulum* Ten. loca arida amans legi); d. 6. Sept. 1872.

Plantam florentem a communi *C. autumnali* L. vix ullus est qui separaret; fructifera maxime memorabilis! — Educavi e tuberibus numerosis d. 22. Septembri 1872 in hortum transplantatis. Cum *Colchico variegato* L. solummodo comparari potest. Foliorum forma cum iconе hujus in Redouté Liliacées vol. IV. tab. 238 optime convenit; differt tamen *Colchicum variegatum* L. foliorum margine laevi, perigonioque distincte tessellato ut in *C. Bivonae* Guss.

Pesthini, d. 14. Maij 1873.

#### Adnotationes in Plantar. novar. turcic breviar. I.:

„*Argyrolobium (?) sessilifolium*“ Janka ad frustum valde incompletum descriptum secundum specimina nuper lecta completa est vera *Genista* sic describenda:

#### *Genista trifoliolata* Janka.

Fruticulus plerunque caespitans. Totius plantae partes herbae (annotinae) sericeo-pilosae, argenteo-canescentes vel cinereo-virescentes. Caules usque pedales tenues, simplices vel alternatim — saepe pyramidato-raniosi. Folia persistentia sessilia insensibiliter in bracteas transitoria, omnia 3-foliolata; inferiora denum reflexa, media patentissima, unum ab altero pollicem circiter distans vel in ramis per paria approximata. Stipulae nullae. Inflorescentia gracilis subvirgata dimidiata caulis longitudinem adaequans, spicato-racemosæ; pedicelli brevissimi vix solumque in statu fructifero conspicua, tuncque lineam ad summum longi, apice bibracteolati. Flores omnes alternatim dissiti, remotiusculi. Calyx minutus bilabiatus ad medium partitus; labii superioris dentes late triangulares; inferioris dentes angustiores aequilongi. Petala lutea: vexillum erectum cordatum acuminatum calyce duplo longius, extus dense argenteo-sericeum; carina subcu-

neato-oblonga obtusa apiculata, demum deflexa vexillo duplo longior, extus dense argenteo-sericea; alae vexillo duplo breviores basi barbatae ceterum glaberrimae. Legumen subrhomboidale-ovatum oblique falcato-acuminatum, adpresso sericeum, 4-ovulatum, 1-spermum.

Hab. in collibus cretaceo-calcareis prope pag. Bjela ad fl. Jantra Bulgariae: frequens in declivibus sterilibus ipsi pag. Bjela imminentibus; legi d. 22. et 23. Junii 1872.

**Seseli purpurascens** Janka in Boissier Flora orientali vol. II. (1872) pag. 963 descriptum.

„**Bunium (?) minutifolium**“ Janka est **Peucedani** species.

Habitat in Thracia boreali: in campestribus herbidis elatioribus mari nigro Haemoque vicinis inter Aidos et Karnabad unacum *Lophysciadio meifolio* DC., *Opoponace orientali* Boiss., *Bupleuro commutato* Boiss. et Bal. et *Stachyde orientali* Vahl. etc. frequentissimum d. 2. et 16. Augusti 1872; ad margines vinearum et in campis prope Sliwno d. 3. et 4. Augusti; in declivitate septentrionali m. Rhodopes: in herbidis inter vineas supra Stanimak, ubi pro *Silao carvifolio* A. Meyer legi d. 6. Juli 1871. — Huc forsitan pertinet *Peucedanum vittijugum* Boiss. Flor. orientalis II. pag. 1019 pauculo serius editum.

**Serratula thracica** Janka l. c. n. 14.

Rhizomatis fibrae hinc inde napiformi-incrassatae. Perennis. Tota planta scabrido-pubescent, cano-viridis. Caulis spithameus v. pedalis proportione robustus, crassus, sulcato-angulatus, simplex vel supra medium in ramos aliquot breves crassos fastigiatos divisus. Caulis ramique apicem versus insigniter clavato-incrassati tota longitudine aequaliter foliati. Folia oblongata indivisa vel basilaria caulinaque infima runcinato-pinnatifida, caulina saepe elliptica semiamplexicaulia plus minus distincta vel haud decurrentia margine integerrima. Flores flavi.

Plantarum, quas adhuc collegi omnium rarissima! solumque solitaria crescit in campestribus herbidis Paliuri fruticulis obductis mari nigro vicinis latasque inter pag. Aidos, Achiolu et portum Burgas Thraciae borealis occupantibus plagas; unacum *Stachyde orientali* et *Dauco involucrato*, *Centaurea solstitiali*, *Anthemidis tinctoriae* var. *microcephala* florentem legi d. 28. Julii 1872.

Accedere videtur etiam ad *S. cichoriaceam* L., quae vero—caule glabriusculo, foliis supra glabris, basiliariis longe petiolatis mucronato-dentatis, pedunculis elongatis nudis, floribusque purpureis—sane multum discrepat.

# ZOBODAT - [www.zobodat.at](http://www.zobodat.at)

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: [Österreichische Botanische Zeitschrift = Plant Systematics and Evolution](#)

Jahr/Year: 1873

Band/Volume: [023](#)

Autor(en)/Author(s): Janka Viktor von Bulcs

Artikel/Article: [Plantarum novarum turcicarum breviarium. 241-244](#)